

FABULARUM HOMERI  
DE REBUS INFERIS  
BREVIS EXPOSITIO.

---

QUAM  
CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.  
PÚBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT  
*GUSTAVUS NICOLAUS MOLIN,*

S. THEOL. DOC. ET AM. BIBL. ACAD. E. O.

&

*CHRISTOPHORUS CONR. FISCHER,*  
STIPENDIARII REGII  
TAVASTENSES.

IN AUDIT. PHYSIC. DIE XXVII MAJI MDCCCVII.  
H. A. M. S.

---

AEOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

Noctes atque Dies, patet atri janua Ditis:  
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,  
Hoc opus, hic labor est.

VIRGILIUS.



Αλλ' οὐτοι θαυματοι μεν ὄμοιοι οὐδὲ θεοι πέρι  
Καὶ φίλω αὐδεὶ δικαιάσαι αἰλαλκεμεν, ὅπποτε κεν δη  
Μοῖρα ἔλοι καθελκοι ταύτης γεος θαυματοι.

HOMERUS.

**L**icet ea, quam sibi effinxit antiquitas, mortuum conditionis imago, a veri quadam similitudine tantum fere absit, quantum in genere omnia, quæ sensibus percipi nequeunt, ab humanæ mentis distant captu & cognitione; attamen mature jam de rebus quibusdam, aut hilariori specie morte absuntos delectantibus, aut tetricori & funestiori terrorem illis injicientibus, varie cogitatum fuisse opinamur. Nam eam hominum esse indolem constat, ut quantum possint facultatum ingenii sui terminos indies magis magisque promovere cupiant, idque studio fere eo vehementiori, quo majori spatio res, quas complecti velint, a cogitationum suarum regione remotas esse comperiant. Et quum vitae hujus amoe-

A

ni.

nitate lætari diu sane non licuerit mortalibus, antequam illa, fatorum jusu inexorabilium, excedendum esse, cito eos doceret experientia; non potuit, quin maximi illis esset momenti, nosse, quid aut amicis, e quorum, dum viverent, consuetudine maximam voluptatem cepissent, quos vero jam mortis atræ manu abreptos lugerent: aut sibi ipsis, a vivis olim digresuris, eventurum vel sperare vel metuere deberent. In re vero tantæ obscuritatis indaganda, quum nihil fere profecerint; sæpen numero, ut fieri solet, vanis ingenii fictionibus lusi, speciem pro re captantes, nonnunquam ad vana opinionum commenta, ipsa ignorantia ferme inferiora confugerunt. Hinc fine dubio multiplices, quibus abundat mythologia Græca, de Manibus, nec non Diis inferis, eorumque attributis & actionibus, fabulæ enatæ, quas pietate & veneratione jugiter prosecutum est vulgus antiquum. Fabulæ vero laudatæ, quum iis Poëtæ etiam indulgere coepissent, utpote quæ uberrimam & canendi materiam & imaginum fingendarum copiam illis conciliarent, eum in modum temporum successu fuere castigatae, ut tandem doctrinæ cuiusdam coelestis speciem præ se ferrent. Et licet ad virtutia, quibus suæ ætatis de rebus Divinis opinio adhuc laboraret, delenda, ipsumque de iisdem doctrinæ tractandæ modum, a materiæ dignitate maxime diversum, emendandum, tantum quidem non contulisse HOMERUM quis judicet, quantum a summo ejus ingenio sperandum fuisse videtur: quin in nonnullis

nullis Mythologiæ antiquæ capitibus exponendis, ipsisque mythicis notionibus definiendis ac explicandis, diligentior non fuerit nec accuratior, quam ut posteriorum æstatum vatibus multa reliquerit supplenda; quæ tamen in Ejus de Diis fabulis primæva elucet morum & cogitandi rationis simplicitas, eam divitissimi ingenii copia & ubertas tanta imaginum varietate, cum verborum venustate & elegantia conjuncta ornavit, quanta in reliquis omnibus eminet HOMERUS, Epicorum Græcorum longe princeps. Cuivis itaque litterarum antiquiorum cultori cum intersit scire, quæ de animarum e corporibus discessarum conditione finxerit poëta eximus, ad ea diligentius examinanda animum viresque intendimus: & quidem ita, ut ubi obscuriora aliqua in HOMERO offenderimus, recentiores auctores non-nulos (a), nec non poëtarum antiquissimorum, imprimis HESIODUM, consulteremus, quo propius ad veram Ejus sententiam accederemus. Qualem itaque fæle nobis obtulerit HOMERI *de rebus inferis* opinio, talem eam Tibi L. B. qua par est modestia jam exponere statuimus.

---

\* v. c. M. G. HERRMANN: *Handbuch d. Mythologie aus Homer u. Hesiod*, Berol. 1787. — J. H. J. KÖPPEN: *Erklärende Anmerkungen zum Homer*. — C. W. HALBKART: *Psycbologia Homerica*, Zullich. 1796. — H. W. A. DE MARÉES *Versuch über die Cultur der Griechen zur Zeit des Homer*, Berol. 1797.

Ævo ad HOMERUM proximo, quo jam de mani-  
um sede inferno nonnulla tradi cooperat, adhuc sive  
*Orcus* ille fuit locus, ad quem animæ corporibus li-  
beratæ migrare crederentur. Cum vero corpora,  
rogis combusta, tumulis constructis mandarentur;  
non potuit non illa opinio in mente hominum oriri,  
esse nimirum Orcum sub ipsa terra conditum, spis-  
fisque tenebris obvolutum. Huic Suorum cogitandi  
rationi HOMERUS favens varia, de Orco ibique po-  
sto Regno Plutonis, memorat, ex antiquioribus hisce  
de manium sede figmentis; duo alia animarum habi-  
tacula adoptans, *Tartarum* puta & *Elysium*: qua se  
bonorum sceleratorumque fortis post mortem  
discrimen quoddam animo volvisse aliquatenus  
proderet, modo rem luculentius expediisset. At  
quamvis tria hæc sedium infernalium nomina afferat,  
*Tartari* tamen & *Elysii* tam raro tamque obscure  
injicit mentionem, quod suo loco monstrabitur, ut,  
quæ de iis vulgo tradi soleant, ad recentiorum poë-  
tarum mythos potius quam ad Homericos illos sint  
referenda. Ex Orco etiam præcipuam Necyæ con-  
dendæ materiam desumisse videtur; omnes enim fa-  
bulæ, gravioris saltim momenti, eo sunt applicatae.  
Videamus jam quid de singulis hisce commemora-  
verit.

\* \* \*

Mox quidem peragrata telluris superficie, ad PLUTONIS domum veniri (*b*) docet HOMERUS, ubi vero portas & aditum ad eam posuerit, res est maximæ incertitudinis. Quæ cum Interpretibus arduum sane faceslérit negotium, (mentem namque suam fatis dilucide non explicuit HOMERUS), eadem a nobis eo libentius aliis disquirenda relinquitur, quo minus veritatis cupidio satisfacere possimus, vel si ex fententiarum de hac re diversitate, eam quæ nobis maxime placeat, afferamus. Ex itinere ULYSSIS aliquatenus cerni posse, ubi aditum ad Orcum sibi poëta finxerit, monuisse tantum sufficiat. Nimirum ULYSSES, cum missa CIRCES insula, Oceanum (Homerico vocabuli sensu) trajecisset, ad terram CIMMERIORUM, & lucum PROSERPINÆ sacratum pervenit, ubi manes ab eo, TIRESIAM de fatis suis consulturo, erant placandi. Quæ de CIMMERIIS, eorumque vivendi ratione refert, omnino ad ea, quæ de Italia antiqua illis temporibus tradi solebat, congruunt. Nam in ejus Occidentali plaga, in promontorio sic dicto Miseno, ad sinum Puteolanum sito, lacus fuit nomine Avernus, majorum fabulis celebrissimus, arboribus excelsis nec non arbustis fertilibus inclusus, qui, teste STRABONE (*c*), undis suis Solis

be-

*b*) Vid. Od. K. 517. Od. A. 25.

*c*) Vid. EJUSD. *Rerum Geographicarum* Lib. V. p. 168, 169. Ed. CASAUAONI.

beneficio destitutis, nec ventorum afflatu unquam refectis, auram edidit vitæ inimicissimam: quare ibi aditus ad Inferos esse credebatur, quam sententiam ipsi accolæ, miris de hoc loco fabulis, confirmarunt. Auxit loci & nomen & claritatem *Oraculum*, majorum superstitione sacrum, cui certos homines, ab aliquorum consuetudine separatos, loca quædam occulta habitantes, præfuisse, responsaque potentibus dedisse STRABO refert, unde hujus, de CIMMERIIS, fabulæ singendæ materiam HOMERUS sibi sumsisse videtur:

Ἐνθα δε Κιμμεριῶν ἀνδρῶν δῆμος τε πολις τε,  
 Ήρι καὶ νέφελη πεκαλυμμένοι· οὐδὲ ποτ' αὐτοὺς  
 Ήλιος Φαεθῶν ἐπιδερκεται ἀκτινεστιν,  
 Οὐδ' ὅποτ' αὖτε ψήσι προς οὐρανον ἀσεροεντα,  
 Οὐδ' ὅταν αὖ ἐπι γαῖαν αἵπερ οὐρανοθεν προτραπίται·  
 Άλλ' ἐπι νυξ ὄλοι τεταται δειλοῖσι βροτοῖσι. (d)

Ad hanc Italizæ partem ULYSSEM appulisse, ibique sacra, ad provocandos Manes instituisse, diligentiores HOMERI interpres jam monstrarunt, licet in loci situ exponendo, poëtam aliquantulum peccasse observaverint (e).

In

d) Od. A. 14 sqq.

e) Vid. HALBKART, l. c. pag. 61. sqq. Ubi præcipua hujus rei illustrandæ argumenta, ducta seil. ex illis quæ HEYNIUS (in exc. II. ad. Libr. VI Æneidos) & GRODDECRIUS (in diss. Germ. Ueber das Lokal der Unterwelt

In Orco quidem HOMERUS pratum quoddam herbosum esse, *Asphodelo* planta constitum (*f*) fluviorumque Acherontis, Pyriphlegethontis & Cocytii aquis irrigatum, refert (*g*). Sed valde abest, singente poëta, ut hæc flumina mortuis quandam pariant delectationem, quemadmodum rivuli, per flores & arbusta, leni cum murmure labentes, viventium sensus jucundissimos plerumque excitare solent; nam eorum flutibus irritatis iæ, ruges late personant, totamque

ad-

*beim* HOMER) de ea disputarunt, assert: illisque sua annexit sensa, dignissima sane quæ suo loco legantur, superiora vero, quam ut hic plene describi queant.

*f*) Od. Α. 538. cfr. Od. Ω. 13, 14. Hic ipsa HALEKARTI, de Asphodelo planta erudite disserentis, verba pœœ Ie-  
ctoris subscrivam. "Hanc plantam, quæ esculenta erat,  
& medicæ salubritatis, copiose describit Plinius H. N.  
XXI. 17. & maxime XX 22 cfr. Theophr. H.P. VII,  
12 & Dioſc. II, 199. Narrat quoque Plinius, formi-  
dari eam a muribus, remedioque esse baberi contra ve-  
nificiorum noxiā: fortasse id ipsum, quod & medico  
usui, & mazicis artibus inserviebat, in causa fuit, cur  
Proserpinæ sacraretur, ut quæ, nomine Hecate, illarum  
artium antistes babebatur. Hinc igitur, quod sacra  
erat hæc planta Proserpinæ, manum Reginæ, facile in-  
telligi potest, qui factum sit, ut pratum illud apud in-  
feros obstitum ea crederent." Vid. not. ad pag. 71. l. c.

De *Asphodelo*, victui hominum inserviente, HESIODUS etiam, Egy. 41. monuit.

*g*) Vid. Od. K. 513. sqq.

¶ 3 8 ( ¶ )

adjacentem regionem horrore perfundunt. Præterea vapes, fluctuum concursu continuo exorti, aërem humectant, Solis radiis nunquam exsiccandum (*h*).

In hoc prato, animæ defunctorum (*i*) huc illuc vagabundæ errant, multa mala perpetientes, quorum illud gravissimum, quod luminis beneficio frui illis nunquam liceat. Quæ vero cum, mortis sœva manu ad inferos detrusæ, nunquam ad vivos revertantur, Domum hinc Plutonis, portis firmissimis clausam (*k*), & monstroso Cerbero, (qui licet eam ingredi volentibus viam patescat, interdum etiam ipsos manes, ab hominibus (ut ex. gr. ULYSSE) provocatos, in lucem prodire sinat; semper tamen omnibus in vitam reddituris, exitum immanis prohibet), observatam (*l*), ingenium ejus dives fingit.

In

---

*b)* Hinc *Orcum* HOMERUS *squalidum* jure appellat, & *nebrosum*, (*εὐγενῆτα*), Od. K. 512; tenebræ enim denorum aëris vaporum fideles esse solent comites.

*i)* Vulgarem suæ gentis, de animis, opinionem, qua illis Orci limina intrare non licuisse, antequam cadavera seu ipsorum rogis exustorum reliquæ, justis solutis, planctuque peracto honeste essent humatae, HOMERUM etiam fuisse amplexum, ex Il. Ψ. 69. sqq., & Od. A. 51. sqq. patet.

*k)* Vid. Il. Θ. 367. Od. A. 276.

*l)* Vid. Il. Θ. 368. — Pulchre admodum de *Cerbero* canit HESIODUS:

In Orci domum commigrantibus Oceani fluctus transeundi erant. Sed de *Styge fluvio*, de quo recentioris ævi poëtæ fabulantur, navigando, & CHA-RONTE trajectum ministrante, nullam in scriptis Homeris factam offendimus mentionem. Odysseæ quidem Libr. V. v. 85 *Styx* memoratur; videtur vero hinc, ejus numen in juris jurandi formula tantum usurpatum fuisse, præter quod nihil forsitan de eo HOMERI tempore fuerit cognitum.

Jam ad ipsa Orci ostia perventum est. Hic *Somnia*, quibus credulum interdum ludi solet humanum genus, primum sese phantasie poëtæ offerunt (*m*). His duo sunt exitus, alter per portam corneam, quam pernicioſa, (*οὐλαι*) falsi rerum indices, alter per eburneam, quam vera prædicentes, egrediuntur (*n*). Licet vero somnia ad *Inferos* referat HO-

B

ME-

— — Δεινος δε κωνη προπαροιθε φυλασσει  
Νηδειης τεχνην δε καικην έχει. 'Εσ μεν ιοντας  
Σαινει ομως βρη τε και βιονιν αμφοτεροιν.  
'Εξελθειν δ' εκ αυτης έσσ παλιν, απλα δοκεων  
'Εθιει, ον κε λαβησαι πυλεων εντοσθειν ιοντα  
'Ιφδημε τ' Αιδεω και επαινης περσεφονειης.

Hes. Tbg. 769-774

*m)* Vid. Od. Ω. 12.

*n)* Vid. Od. T. 562. De hac fabula vide ulterius disserentem HERRMANN. I. c. p. 328, cfr. HEYNE exc. I. ad libr. VI. *Eneid.*

MERUS, nutui tamen & imperio Jovis parent, qui illis ad voluntatem suam mortalibus indicandam utitur (o). Nec nunquam iis decepti ad interitum ruunt homines. AGAMEMNON v. c. spe famæ & victoriæ, quam JUPITER, somnio ei immisso, auxerat (p), exercitum ad proelium eduxit, clade vero facta, de JOVE, damni auctore acerbissimas jacit querelas (q).

'Aïðης seu 'Aïðovēus (r) sceptræ Orci tenet, genere, nomine & majestate ipso JOVE haud multo inferior. Hujus enim frater (s) Regnum inferorum forte potitus est (t), ubi summam in illos, qui territorium suum, fatorum lege immutabili coacti, ingressi sunt, exerceat potestatem: eam animo quam maxime immitti graviorem & acerbiorem reddens, ideoque ab omnibus, ne ipsis quidem Diis exceptis, justo odio

o) Il. B. 5. 6. Il. A. 63.

p) Vid. Il. B. 5-15.

q) Il. I. 17. sqq.

r) Sic eum HOMERUS nuncupat, cui Plutonis & Orci nomen recentiores poëtæ vindicarunt.

s) Τρεῖς γαρ τὸν ἐκ Κρονοῦ εἰμεν αδελφεον οἵ τε κεκτοί Ρέα  
Zeus καὶ ἔγω (Neptunus) τριτατος δὲ 'Αιδης, ἐνεργοῖσιν  
αναστῶν.

Il. O. 187, 188.

t) Il. O. 191.

dio habitus (*u*). *Regem* eum HOMERUS appellat (*w*), nec non JOVEM inferum (*x*). Sed licet eum nomine & honore Regali ornet, cum JOVE tamen *supero*, quem ipsi Dii formidarent, conferendum non esse innuit. Nam major non fuit ejus potentia; quam ut, NEPTUNO quondam terram quatente, & vehementer minante, se eam funditus eversurum, adeo timuerit *Hades*, ut solio desiliens altum clamaret, veritus ne, terra fracta, domum suam panderet, domum hominibus pariter ac cæteris Diis detestabilem (*y*). Nec a mortalium impetu semper fuit securus, miser, in ipso domus suæ limine ab HERCULE vulneratus (*z*). Hic in Poëta, licet celeberrimo, ingenii tamen infantia maxime cernitur. Nam *Deum* cum sibi singaret, non potuit quin eum αὐθεοποταθῶς, & humana imbecillitate pressum, & humanis casibus obnoxium, animo & cogitatione formaret.

PLUTONIS ad dextram sedit Uxor ejus PROSERPINA, nutu Jovis ducta, a Matris suæ domo vi rapta (*a*) animo implacabili Marito haud impar. Eam

B 2

ubi-

*w*) Il. I. 158, 159.

*w*) Αὐαξ ἐνεργων Ἀιδούευς. Il. T. 61. cfr. Il. O. 128.

*x*) Zeus Καταχθονος. Il. I. 457.

*y*) Vid. Il. T. 61. fqq.

*z*) Il. E. 395.

*a*) Vid. Hes. Theog. 914.

tibique ἐπανῦν nuncupat HOMERUS, quo cognomine  
indolem ejus fœvam indicat. In Regno inferorum  
PLUTO eam rerum moderandarum habet partipem,  
injuriarum vero imprimis ultricem acerbissimam (b).  
Cæterum nihil fere ab illa sola factum recenset, nisi  
quod TIRESIAE in Orco degenti majorem, ac quæ  
aliis manibus contigit, sapientiam largita sit (c).

Ad numina infera, Έριννες adhuc sunt numeran-  
dæ, quibus ad homines puniendos, imprimis vero  
perjurium ulciscendum, utebantur una PLUTO &  
PROSERPINA. Harum nullum, cuique nimis prop-  
rium, apud HOMERUM occurrit nomen; ad recenti-  
orum vero Έριννες sive *Furias*, apprime respondent  
earum & indoles & officia (d). Ab hominibus, in-  
jurias aliorum passis, promiscue advocari solebant;  
etiam pauperes & mendici, opulentiorum contume-  
liis & conviciis obnoxii, eas sibi benignas habere o-  
pinabantur (e). In mythica horum temporum Reli-  
gione, quibus de officiis nondum subtiliores initæ ex-  
rant rationes, Έριννες maximi fane fuere momenti;  
quippe quæ libidines gentis incultæ quam efficacis-  
sime cohiberent.

Ani-

(b) Vid. Il. I. 569.

(c) Vid. Od. K. 494.

(d) Vid. Il. I. 571, 572.

(e) Vid. Od. P. 475.

Animas dein omnes, nullo earum, respectu ætatis, indolis, aut cujuscunque vitæ rationis, discriminne facto, in Orcum congregavit phantasia HOMERI; ULYSSEM enim, saeris ad Orci portas factis, ibi Herorum clarissimorum animas, & inter eas *Tityum*, *Sisyphum* & *Tantalum*, gravissimas luentes poenas, totamque una mortuorum turbam, vidisse refert (f). Et in eo Homerica a recentiorum fabula valde difstat, quod in illa scelera diversa non inveniantur definita, multo minus loca poenis quibusdam gravioribus luendis propria. Nam quæ de Tantalo, cæt. HOMERUS narrat, ea forte majorum traditionibus exceperat, quare etiam ULYSSEM eos vidisse historicæ, quantum potuerit, veritati studens commemo-ravit. Ei vero, in hospites & egenos, injuria cædes & perjurium, gravissima sunt scelera, in quæ Diis inferis jubentibus, in Orco solo ègivvusq; animad-vertunt (g).

Ani-

f) Præterquam quod ove mactata, fusisque ad Manes pre-cibus

*Νυμφαῖ τ', ἥγεο τε, πολυτάκτοι τε γεοντες  
παρθενίαι τ' ἀταλαι — — — &c.*

ULYSSE primum feso obtulerunt, idem mox AGAMEMNO-NEM quoque, ACHILEEM pluresque, inter hanc turbam, cognovit, & cum illis sermonem instituit tristem. Vid. Od. Libr. XI. cfr. ñot. L. XXIV.

g) cfr. Il. T. 260. Od. P. 475.

Animæ, ipsorum hominum idola seu simulacra, corporibus finguntur, magnitudine, statura & quidem facie, simillimæ, primo jam intuitu inde cognoscendæ: sed leves, exangues & inanes, omni, quod unquam corporeum esse posse, carentes. In earum descriptione vel maxime illa desideratur narrationis perspicuitas, quæ poëtæ rei rite intellectæ fidem vindicare posse. Nam modo eas *νεκυῶν ἀμεννὰ καρνῶν* appellat (*h*), quæ præteritorum immemores, parum omnino sibi ipsis conscientes, errabundæ huc illuc, fumi instar, ventibus agitati, stridentes vagantur (*i*); jam vero & eas memorat, quæ, pro suo quæque lubidine, ea, quibus viventes maximopere delectarentur, adhuc apud inferos continuant negotia, & quæ aut præmaturam lugent mortem, aut injuriarum, sibi vivis illatarum, nec non suorum, inter vivos degentium, haud oblitæ sunt (*k*). Hæc, quæ inter se omnino pugnare videntur, ita, me quidem judice, quadantenus conciliari possunt, ut ponamus: animas ex mente HOMERI, sensuum, licet quodammodo langvidorum, capaces, generatim rebus, quæ sibi, dum viverent, maxime fuere curæ, etiam post mortem indulgere, licet loquendi facultate privatæ, quid sentiant, & secum cogitent, in medium proferre non

va-

*b)* Od. K. 521. & 536.*i)* Od. K. 495. cfr. Od. A. 42, 43. Od. Ω. 5.*k)* Vid. Od. A.

valeant. Quibus vero in vita major quædam contigit corporis firmitas & fortitudo, quæ apud HOMERI coævos, animi dotes æstimare prorsus fere nescientes, optima habebatur virtus, eos etiam apud inferos negotiis prævalere fingit vates. Accedit, quod Dei alicujus ope, nonnulli, ut *Sisyphus* & *Tityus*, ad suppliciorum gravitatem augendam, novo semper virium incremento, aut ad mortales de fatis suis certiores reddendos, ut *Tiresias*, majori animi robore instruerentur. Ad colloquium cum vivis instituendum provocatae, necesse fuit, ut sanguinem animalis ejusdam maestati biberent, quo firmitatem quandam corpoream obtinerent (*I*), ita ut rerum mundanarum memores, ipsiusque loquendi facultatis, ejus alias expertes essent, participes, sua cum illis communia facere possent sensa. Quo vero facto, omnia, quæcunque misera esse possint, atque vitæ humanæ vel tristissimam conditionem longe superantia, sibi cumulatim quasi injuncta esse lamentabantur manes & optimorum inter vivos, & quorum major fuit inter mortuos honor & præstantia. Omnes omnino uno ejulatu fata sua adversa conquerebantur (*m*). Sed quæ-

*I*) Falsæ tamen semper, etiam sanguine gustato, permanebant, corporum imagines, ita ut amplexus vel amicissimos umbræ instar evitarent: qua de re ULYSSES (Od. A. 209 sqq.) apud matrem suam deplorat.

*m*) Notatu omnino dignum est illud, quod ACHILLES Ulys-

quæritur, cur fortè animarum tam miseram finxerit in loco, ubi, saltim non omnes, criminum poenas luerent, verum tantummodo commorarentur, eo migrantes, cum vitæ finem fata imposuissent? Hujus rei convenientem sane reddere non possumus rationem, nisi ad solitam refugiamus rudiorum hominum cogitandi modum, omnaem humani generis felicitatem in vita ponentum, qua sublata nihil jucundi sibi sperant. Hi meliorem post mortem statum omnino ignorantes, animas, lucis beneficio vitæque lætitiis privatas, infelicissimas & omnimode miserandas opinantur. Nec forsitan sine omni veri similitudine judicemus, Græcos, HOMERI tempore suis rebus valde contentos fuisse, seque earum fruitione quam felicissimos existimasse; unde eos futura vehementer reformidasse haud mirum (*n.*).

---

TAR-

st, eum felicem, ob honoris dignitatem, quam apud Inferos assecutus erat, salutanti, dedit responsum:

Βουλομην κ' ἐπαιρουσος ἐων Θυτεύεμεν ἀλλω  
Αὐδει παθ' ἀκληρω, ω μη βιοτος πολυς εἰη  
Ἡ πᾶσιν νεκυεσι παταφθίμενοιν ὀνασσειν.

Od. A. 488 sqq.

- a) Je glücklicher sich ein Mensch fühlt, desto mehr fürchtet er jede Veränderung dieses glücklichen Zustandes, desto schwärtzer stellt ihm seine Phantasie jeden Zustand vor, den er mit dem gegenwärtigen vertauschen

TARTARUS HOMERO infimus locorum infernorum est, & quidem maxime tenebrosus (*o*), ferreis portis clausus, æreoque limine instructus (*p*). In ejus situ exponendo, obscurior quidem videtur poëta, quam ut certo cognosci possit, quid de eo ipse cogitaverit. Jam quidem Deorum Hominumque Rex JUPITER, in coetu coelestium, Dearum non nullas, sibi bellicas ad Ilium gerendas res gubernanti obstantes, atrociter objurgans, eas, nisi ab incerto suo recesferint, in *Tartarum, τύλε μαλ'*, & quidem

*τοσσον ἐνεργ' Αἰδεω, ὃςον οὐρανος ἐστ' ἀπο γαιης (q).*

se certo præcipitaturum esse, HOMERO narrante comminatur: qui locus omnino classicus hac in re illustranda imprimis citari solet; quum vero hæc JOVIS verba, ad id ardentioris, animi irati, sermonis genus pertineant, in quo singula quæ pronuntiantur, ad litteram non sunt sumenda: & JOVEM iis ad mi-

C na-

---

müste. Der Glückliche fürchtet; aber der Unglückliche bofft. Dieser Satz, den bey einzelnen Menschen die tagliche Erfahrung bestätigt, muss auch von ganzen Völkern wahr seyn, und er ist, meines Erachtens, vollkommen hinreichend, die Vorstellungen der verschiedenen Völker von dem Zustande in einem künftigen Leben zu erläutern. DE MAREÉS l. c. pag. 110.

*o) Il. Θ. 13.*

*p) Il. Θ. 15.*

*q) Il. Θ. 16.*

marum vim augendam, & potentiae suae magnitudinem simul demonstrandam, magis, quam ad loci situm accurate definiendum, usum fuisse, facile cernatur; in medio omnino relieta manet quæstio, an in ipsa terra absconditum sibi fixerit poëta *Tartarum*, an adhuc ab ea, spatio quodam magno remotum. HESIODUS vero rem his:

Τοσσον ἐνεργή ὑπὸ γῆς, ὅσον θέρανος ἔστιν ἀπὸ γαῖας  
Ισοι γαρ τὸ ἀπὸ γῆς εἰς Ταρταρον ἡρθεντα (r).

majori perspicuitate persolvens, & eundem ac HOMERUS mythum in oculis certe habens, ansam nobis præbet statuendi, etiam HOMERO judice *Tartarum* procul, *infra Terram*, in vacuo quodam vasto de-

mer-

r) *Theog.* 720, 721. Sequitur imago, e qua spatium hoc immensum, quodammodo percipi queat:

Ἐννέα γαρ νυκτας τε και ἥματα χαλκεος ἄκμων  
Ουρανοῦ πάτιων, δεκατηνὶς γειτανεις  
Ἐννέα δὲν νυκτας τε και ἥματα χαλκεος ἄκμων  
Ἐκ γαῖας πάτιων, δεκατηνὶς εἰς Ταρταρον ικοι.

Cum quo, si cuinam placuerit, conferri poterit hoc,  
quod nostratum unus, de interni a Cælo distantia, audaci-  
cius forsan cecinit:

"När Ånglars tankar ned, till Satans afgrund ilå,  
"Att hinna dit, hvad djup! de trenne gånger hvila.

*Ktt. Dom. af LIDNER.*

mersum, aut si mavis suspensum fuisse (s). Quæ de Tartaro præter hæc fixit HOMERUS, pauca omnino sunt, & valde obscura. Nec *Illi*, quo judice in Orco, Manum sede communi, vel acerrima patiebantur nonnulli supplicia, de hoc loco, quem poenis gravioribus destinarunt recentiores, certi aliquid cognitum esse potuit. *Titanum* (t) quidem, *Saturni* (u) & *Japeti* (w) quos vehementior Jovis ira in Tartarum desecrata, mentionem facit; de eorum vero & delictis, & poenis, nihil habet: eos tantummodo sub terra marique, spis̄is tenebris obvolutos sedere, nec unquam solis lumine frui, aut ventorum aut̄ refocillari narrat.

C 2

Eo,

s) Hic nobis e numero interpretum HOMERI, imprimis KOEPPENIUS (*ad Il. Δ. 13. sqq.*) adnuit, cum dicit: "Also ist der Tartarus ein tiefer Abgrund, Βερεδεος Μαδισον, der nicht in der Erde, sondern unter derselben, νπο χρόνον liegt." — Leviter quidem hanc rem testigiale forte videbintur; sed quum clar. HALBKART, (*in I. sepius iam cit. pag. 76 sqq.*) totam inter Interpretes, de his loci sensu eruendo, ortam controversiam, solita sua copia & judicii acumine usus, diremerit; cui uberior placeat ejusdem expositio, cum adeat, quem etiam svaforem nobis fuisse haud diffitemur, ut in prolatâ verborum HOMERI explicatione a sententia HERRMANNI paulo recederemus. Cfr. HERRMANNUM *I. c.* pag. 203.

t) *Hymn. ad Apoll.* 334 sqq.

u) *Il. Ζ.* 203, 204.

w) *Il. Θ.* 479 sqq.

Eo, quo vixerit tempore, HOMERUS, quum nulla fere præmia a Diis sibi tribuenda cogitantes, Deos, ob poenas tantum, quas a se exigerent, reformidarent mortales, nec potuit *Ille*, licet jam sañioris cogitandi rationis vestigia haud obseura prodat (*x*), locum quandam fingere, ubi virtutis, & viñæ probioris fructus esent percipiendi. Legimus tamen (*y*) RHADAMANTUM & MENELAUM in Elycio omni frui felicitate, quam Homericæ ætatis cogitandi simplicitas in medium proferre valuit; unde Elysium *Heroibus*, ex mente HOMERI destinatum fuisse,

*x) Huic sententiæ pondus haud leve addit cel.* DE MAREÉS,  
HOMERO, a Mythica illa Religione, quam coœvi sui a majoribüs traditam amplexi sunt, aliam aliquam, Rationis magis collustratæ principiis innixam tribuens. "HOMER batte also," ait, "ausser der mythischen noch eine reinere Religion und richtigere Vorstellungen von der Gottheit. Dieser Gott nun bestimmt die Schicksale der Menschen. Il. XXII, 209. Von ihm rübrt alles her, was ihnen Gutes und Böses wiederafört. Er kann alles. Od. IV. 236. Er weiß alles. Od. XX. 42. 75. Er wirkt auf die Menschen, wenn sie auch weit entfernt sind. Od. III. 231. Er belobt die Guten und bestraft die Bösen. Od. XIII. 213. Il. XVI. 386. Od. XIV. 82. Od. XXII. 412." Haec vero ultima diligentius forte pensans, dictis adjicit: "Indess wird doch der Strafen weit öfter gedacht, als der Belohnungen." Vid. DE MAREÉS, l. c. p. 102, 109.

*y) Od. Δ. 565, sqq.*

se, aliquis credat: quæ sententia etiam Maronis interpretis celeberrimi esse videtur (z). Cum vero MENELAUM, ideo quod HELENAM JOVE natam duxisset, omnibus aliis Græcorum proceribus in Orco relictis, in Elysium colloget, nec ullam ejus, nisi PROTEI de MENELAO vaticinium referens (a), mentionem faciat; HERRMANNO duce (b) eum de Elyfio certam quandam non habuisse notionem, verum totam, quam de eo conceperat ideam, fictionis poëticæ imaginem tantum esse, colligere non dubitamus. Et his jam finem imposituri, cum in meliorem non inciderimus rationem, cur MENELAUM solum, Elyfii felicitatis compotem fecerit; ipsa hac de re affera-  
mus clar. HALBKARTI verba (c): “Fortasse hæc fuit Homeri opinio, optimos tantum homines, qui suam obiissent mortem, statim post obitum in Elysios ad-  
mitti campos: cæteris autem, priusquam illuc veni-  
rent, in Orco, tanquam in purgatorio, aliquamdiu commorandum: quod si verum sit, sequitur, Mene-  
laum jam multos, ante ipsum in Elysium receptos, invenisse, multosqne eorum, qui adhuc in Orco te-  
nebantur, suis se futuros. Res non omni caret spe-  
cie

(z) Vid. HEYN, ad *L. Æn. VI. Exc. I.*

(a) Od. Δ. 561 sqq.

(b) Vid. EJUSD. *I. c.* pag. 387.

(c) Vid. HALBK. *I. c.* pag. 90, 91.

cie veri: Virgilius (Æn. VI, 426 sqq. ibique Heynot. atque Exc. VIII) quidem, præter Tartarum atque Elysium, tertium quendam locum habet, iis assignatum, qui præmatura morte obierunt. Non plane saltem negat hoc loco Heynius, illos fortasse, ex mente Virgilii, aliquando, expletis fatalibus annis, quos anteverterint, ad Elysium perventuros: forsitan eadem in Homericō loco admitti possit conjectura, quæ magnam sui commendationem habet, quod difficultates illæ, quas attigimus, plans ea tolluntur. Hesiodus quidem, l. modo c. aliisque poëtæ, heroes, qui circa Thebarum Iliique muros ceciderant, quosque Homerus Orco addicit, in Elysio beatam degere vitam canunt.“

